



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio VI. Vtrùm ad nostram satisfactioem requiratur promiſſio, & acceptatio divina?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

nobis sunt voluntaria; tum æquivalenter per poenitentiam; siquidem hæc æquivaler conformitati, & in hoc sensu videtur locutus D. Aug. lib. 9. q. 31. ubi appellat patientiam honestatis causam, & rem arduam voluntariam perpersionem. *Patientia*, inquit, est honestatis, aut utilitatis causa, rerum arduarum, aut difficultum voluntaria, ac diuturna perpessio; ergo &c.

127. Probatum quartò exemplo Christi Domini, & Passionum ejus: nam Triden. sess. 14. cap. 8. ait, *Quod dum satisfaciendo parimur pro peccatis, Christo J. E. S. U., qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficiamur*; sed Christus Dominus per passiones suas extrinsecus illatas ita satisfecit, ut non solum interior actus, quo illas acceptabat, & Patri offerebat, sed etiam ipsi dolores, & poenæ corporales essent satisfactoriæ, licet Christus Dominus non illas in se efficeret, sed ab aliis illatas sustineret; ergo &c.

128. Argues 1. De ratione satisfactionis est, quod sit libera, ut diximus; sed in flagellis à Deo immissis sola patientia interior est libera; ipsum enim flagellum exterius est necessarium; ergo &c. Respondeo negando minorem, ut patet ex dictis; ipsum enim flagellum exterius est etiam liberum: non quidem phytice, sic enim est necessarium; sed moraliter quatenus volumus, quod Deus vult, per patientiam, & conformitatem cum ejus voluntate divina id disponente.

129. Argues 2. Si flagello extrinsecus illato, & immissio à Deo corresponderet sua partialis satisfactio, hæc eadem ei corresponderet, etiam si non patienter toleraretur; sed hoc non est dicendum, ut potest contra Trid. cit. ergo &c. Respondeo negando sequelam majoris; diversa ratio est, quia flagellum extrinsecus illatum, & patienter toleratum est voluntarium, & formaliter, & æquivalenter, prout supra diximus: non ita tamen est voluntarium, cum non patienter toleratur.

130. Argues 3. Si hoc esset verum, sequeretur, actum externum addere aliquid satisfactionis supra internum; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo cum P. Soar. cit. sect. 5. num. 3. P. Egid. cit. num. 26. & P. Lugo cit. num. 45. concedendo sequelam; plus enim satisfactio, qui jejunat, quam qui solum voluit jejunare. Et ratio est, quia satisfactio correspondet castigationi voluntariæ; plus autem se castigat, qui jejunat, quam qui solum voluit jejunare.

131. Instabis: Actus externus non addit aliquid meriti supra internum, ut supra diximus tract. 2. d. 2. ergo neque etiam addet aliquid satisfactionis. Respondeo concessio antecedente, quidquid in contrarium dicat P. Ripal. de Ente supernat. d. 68. sect. 5. & latius contra P. Lugo d. 74. sect. 6. negando consequentiam; diversa ratio est, quia satisfactio respicit poenam, quæ voluntariè suscipitur pro poenâ debita; cum autem actus externus addat aliquid poenæ supra internum, etiam aliquid satisfactionis addit: at verò meritum respicit honestatem; cum autem hanc non addat actus externus supra internum; siquidem hæc defumitur ab objecto motivo; actus verò externus non addit novum objectum motivum supra actum internum, idèd supra illum non addit novum meritum. Vide quæ diximus loco proxime citato.

132. Ex dictis colliges primò, cæteris paribus, plus satisfacere, qui majorem poenam patitur; siquidè cum hæc etiam ad satisfaciendum conducat, ubi fuerit major poena, major etiam erit satisfactio. Secundò, magis satisfacere, qui patitur ut innocens, quam qui pa-

titur ut malefactor, licet ipsa poena sit æqualis; siquidem respectu innocentis habet majorem improprietatem, idèdque majorem rationem mali, ac proindè satisfactoris. Tertio, fieri posse, ut plus satisfaciatur quis per poenam toleratam, quam per spontè assumptam; siquidem licet poena ex ea parte, quæ est magis voluntaria, & magis propria, sit magis satisfactoria; ex parte tamen difficultatis, quæ est in sustinendis passionibus extrinsecus advenientibus, potest multum excedere hæc poena tolerata: præsertim si cum illâ conjuncta sit aliqua injuria.

133. Quartò, hujusmodi satisfactionem fieri, non solum per illa flagella, quæ Deus immittit ob finem purgandi justos in hac vita, sed per omnia, quæcunque illa sint, & ex quibuscunque causis proveniant, si prædicta voluntate suscipiantur: tum quia Trid. cit. & Sancti Patres indefinitè loquuntur: tum quia omnia hæc flagella potest homo facere moraliter sua, ut supra diximus: tum quia omnia hæc flagella proveniunt ex Providentia Divina, & saltem generali intentione intendit, ut per ea exerceamur & purgemur: tum etiam quia vix potest homo, nisi ex speciali revelatione discernere, ex quo genere Providentiæ Divinæ hæc proveniant; ergo si omnia illa patienter, & voluntariè sustineat, satisfaciatur.

134. Quintò, nulla flagella hujus vitæ, quacunque ratione à Deo inferantur, esse satisfactoria, nisi per honestam voluntatem acceptentur, & in Deum aliquo modo referantur: tum quia ita videtur colligi ex Trid. cit. quatenus requirit, ut patienter tolerentur: tum quia SS. Patres ita ad illa patienter toleranda hortantur homines, ut planè significant, omnem amitti fructum, si hæc voluntas ablit: tum quia hæc satisfactio, & poena, quam Deus exigit pro peccatis, non tam ordinatur ad aliorum exemplum, quam ad emendationem poenitentis, & honorem divinum; hoc autem requirit saltem voluntariam acceptationem poenitentis: tum etiam, quia si tota remissionis poena consisteret in ipsa nudâ passione, etiam si homo non esset in gratia; imò etiam si peccaret per impatientiam resistendo, adhuc remissionem poenæ obtineret; hoc autem est absurdissimum; ergo &c.

135. Dubium 4. Utrum quando Deus specialiter puniat in hac vita aliquem justum pro peccato, hoc ipso eum omninò liberet à totâ poenâ, quæ illi peccato designata est in Purgatorio? Negativè. Ita Soar. & P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 37. sect. 7. n. 14. Præbatur primò, quia aliquando potest illa poena non esse æqualis, ut si sit brevis, & remissa; ergo &c. Secundò, quia hoc est speciale privilegium martyris, quod perfectè purget, & omni poenâ hominem liberet.

SECTIO VI.

Utrum ad nostram satisfactionem requiratur promissio, & acceptatio divina?



136. ACTENUS de conditionibus necessariis ad satisfactionem, ejusque effectum obtinendum, ex parte satisfactoris, & ipsius operis, superest aliquid breviter dicendum de conditione requisita ex parte Dei, quæ non potest esse alia, quam promissio, aut lex Divina.

Hæc

337. Hæc quaestio ex supra dictis tract. 2. d. 2. definienda est; licet enim satisfactio, & meritum diversa sint, utrique tamen commune est, ut secundum quandam æqualitatem, & juxta leges justitiæ fiant, ita ut si ut merito proprio infallibiliter respondet præmium, nec potest denegari sine injustitia, sic etiam satisfactioni respondeat infallibiliter condonatio poenæ, nec possit denegari sine injustitia. Unde posita propria satisfactione de justitia, impossibile est, hominem pro illo peccato justè puniri, pro quo satisfecit. Quare in nostra satisfactione (prout supra diximus de nostro merito loco proximè citato,) duo sunt consideranda: Primum, quod in se, & veluti in actu primo, habeat valorem aliquem, & proportionem ad satisfaciendum. Secundum, quod infallibiliter, & veluti in actu secundo, ac ex justitia Deus condonet poenam Purgatorii propter talem satisfactionem à nobis positam. Hoc posito.

338. Dico I. Opera, quibus Deo satisfacimus pro peccatis, prout à gratiâ procedunt, & gratiâ informantur, habent proportionem, & condignitatem aliquam ad satisfaciendum, seclusâ extrinsecâ promissione Dei. Ita P. Soar. tom. 4. in 3. part. d. 37. sect. 8. & alii. Probatur, quia nostra bona opera, prout procedunt à gratiâ, & gratiâ informantur, habent aliquam proportionem; & condignitatem veluti in actu primo ad merendum præmium, seclusâ extrinsecâ promissione Dei, ut supra diximus tract. 2. d. 2. ergo etiam illam habebunt ad satisfaciendum pro poenâ.

339. Dico 2. Ut nostra opera sint infallibiliter, & veluti in actu secundo satisfactoria, & remissiva poenarum alterius vitæ, necessaria est lex, & promissio Dei de condonandâ tali poenâ sub conditione talis operis. Ita P. Soar. cit. n. 4. P. Egid. de poenit. d. 2. n. 121. & d. 10. dub. 3. & 4. P. Lugo d. 23. de poenit. n. 16. P. Soar. Lusit. de poenit. d. 1. tract. 8. n. 46. & alii. Probatur primò ex Trid. sess. 14. cap. 8. ubi dicit *Nostros satisfactiones à Christo offerri Patri, & per illum acceptari.* Et cap. 9. dicit, esse magnum divini amoris argumentum, quod nostras satisfactiones acceptat; ex quo planè colligitur, necessariam esse acceptationem per Christum ad nostram satisfactionem; ergo &c.

340. Probatur secundo, quia poena in hac vita assumpta, est alterius ordinis, & rationis à poena Purgatorii; ergo, seclusâ Dei lege, nulla est ratio, propter quam debitum illius poenæ per hanc necessariò tollatur. Confirmatur primò, quia si aliqua certa poena per statutam legem sit imposita alicui peccato, non tenetur Judex aliam poenam loco illius acceptare, sed potest illam in specie exequi, præsertim si alia, quæ loco illius offertur, sit inferior; atqui talis poena Purgatorii justâ lege debetur peccatis nostris; ergo seclusâ omni aliâ Dei lege, nihil est, quod Deum obliget ad remittendam illam poenam propter nostra opera in hac vita facta. Secundò, quia nostra bona opera non sunt infallibiliter, & veluti in actu secundo meritoria, seclusâ Dei lege, & promissione, ut supra diximus tr. 2. d. 2. ergo neque sic erunt satisfactoria.

341. Objicies I. pro P. Vasq. 3. p. q. 94. art. 5. dub. 3. Opus satisfactorium, prout procedit à gratiâ, & gratiâ informantur, est condignum; sed Deus non potest non acceptare opus condignum; alioqui esset injustus; ergo &c. Respondeo opus prout sic satisfactorium posse esse condignum in actu primo; non tamen in actu secundo, & prout sic dicimus indigere promissione, & acceptatione divina. Patet, quia triticum est condignum in actu

primo, ut homo per illud loco olei satisfaciat creditori; & tamen ut sit condignum in actu secundo, requiritur acceptatio creditoris. Similiter meritum procedens ex gratia est condignum gloriæ in actu primo; & tamen, ut tale sit in actu secundo, indiget acceptatione divinâ, ut alibi diximus.

Objicies 2. Princeps offensus non potest non acceptare satisfactionem condignam pro culpa; ergo neq; condignam pro poena. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia culpa respicit odium, & indignationem, quam meretur; irrationabiliter autem non placatur ille, cui sufficienter satisfecisti: at verò Judex habet jus, ut imponat poenam, quam velit, sicque non tenetur acceptare, quam tu vis, licet illa sit æqualis, & fortasse major, nisi liberè id promittat, & velit.

Difficultas tamen est: Utrum satisfactio nostra, concurrentibus omnibus conditionibus assignatis, sit de condigno, & ex justitia? Hæc difficultas satis constare poterat ex supra dictis à num. 26. & ex iis, quæ diximus de Merito de condigno apud Deum tract. 2. d. 2. Quia tamen ex proximè dictis hîc locum habet, de illa quid sentiamus, breviter dicemus. Attamen:

Advertes, quamdam esse poenam à Deo impositam, & definitam singulis peccatis ex certa lege Justitiæ Divinæ, quæ poena sustinenda est in futura vita, si in hac non fuerit plenè remissa, & hæc est poena veluti ordinaria per se peccato respondens: præter hanc verò poenam aliquando Deus punit peccatum poenâ aliquâ extraordinariâ in hac vita, quæ quidem poena accidentalis est, seu extraordinariè posita ex speciali Dei ordinatione, Hoc posito.

Dico I. Nostra bona opera sub assignatis conditionibus elicit, sunt satisfactoria de condigno, & ex justitia pro illa poena Purgatorii, quæ per se responderet peccato non plenè remisso quoad poenam. Est communis Theologorum sententia. Ita P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 37. sect. 9. num. 2. P. Valent. q. 14. punct. 3. P. Henricq. lib. 5. cap. 18. n. 3. P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. 8. dub. 2. n. 50. P. Lugo d. 24. de poenit. num. 19. P. Ripal. tom. 2. d. 98. sect. 3. num. 37. & alii. Probatur primò ex Trid. sess. 14. cap. 8. ubi definitur, nos eodem modo satisfacere apud Deum, quo meremur: ibi: *In quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, &c.* sed meremur de condigno, & ex justitia; ergo ex justitia, & de condigno satisfacimus. Et can. 13. ibid. absolute, & simpliciter definit, nos satisfacere Deo pro poena temporalis; satisfactio autem simpliciter, absolute, & propriè est sola satisfactio de condigno, & ex justitia.

Probatur secundo autoritate Pii V. & Greg. XIII. qui in propriis Bullis adversùs Michaëlem Baïum, damnarunt hanc propositionem, quæ est 73. ejusdem Authoris: *Satisfactiones laboriosa justificarum, non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatum; et ergo &c.*

Probatur tertio, quia ad satisfactionem de condigno, & ex justitia, sicut ad meritum, non plus requiritur, quam dignitas operantis, proportio operis, & promissio Dei sub conditione talis operis, ita ut si exhibeatur tale opus, mox oriatur obligatio justitiæ; sed hæc omnia dantur in nostra satisfactione, de qua est sermo, ut patet ex supra dictis; ergo &c.

Probatur quarto, quia qui subdit, & solvit poenam lege statutam eo modo, quo ex voluntate legislatoris posita est, condignè satisfacit tali legi; sed

nunc ex lege divina non est absolute imposita peccatis nostris poena Purgatorii, sed sub conditione, vel disjunctione, id est, aut illa in vita futura, aut aliqua moraliter proportionalis in hac vita; ergo qui alterum istorum facit, satisfacit legi Dei; ergo satisfacit ex iustitia, & de condigno.

149. Dico 2. Quando poena est accidentalis, seu extraordinaria, non potest iustus pro illa de condigno satisfacere: imò neque aliquid facere, quo infallibiliter talis poenae remissionem consequatur. Ita *Medin. tr. 2. de Confessione q. 46. P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 37. sect. 9. num. 3. P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. 8. dub. 2. num. 52. & alii.* Probat, quia cum huiusmodi poena semper sit poena huius vitae, & aliquando ejus comminatio sit absoluta, & ex definita Dei sententia, hæc non mutatur, quidquid homo operetur; sic enim David. 2. Reg. 12. per multas lachrymas vitam filii, in quo punitus est, obtinere non potuit. Confirmatur ex D. Aug. lib. 2. de Peccat. merit. cap. 34. & lib. 2. contr. Faustum cap. 27. & tract. 124. in Joan. ex quo idem desumunt P. Soar. & P. Tanner. cit. Probat, secundò ratione, quia de remissione huius poenae nulla est certa promissio, nec lex statuta; sine hac autem non potest dari satisfactio de condigno, & ex iustitia, ut patet ex supra dictis. Unde.

150. Advertes, si quando obtinetur à Deo remissio, aut commutatio huius poenae, (ut sunt varia exempla in Scriptura Sacra Exod. 32. Numer. 26. 2. Reg. 24. Joan. 3. & alibi,) id non esse per modum satisfactionis de condigno, sed per modum imperationis, & meriti de congruo, quatenus Deus exaudit orationes, & merita suorum amicorum; nam sicut hæc poena non est necessariò conjuncta culpæ, sed est quasi voluntaria, ita in eâ dimittendâ non servatur ratio iustitiæ, sed gratiæ, & liberalitatis, quam Deus interdum concedit, interdum autem iusto iudicio negat.

SECTIO. VII.

Utrum omnia Sacramenta ad suos effectus reviviscant?

151. **C**UM de meritorum, & gratiæ reviviscencia sit sermo, non incongruum visum est præsentem quaestionem de Sacramentorum reviviscencia quoad suos effectus præstandos excitare, & inquirere, An, & quomodò hæc suscepta, recedente fictione, iterum ad suos effectus præstandos reviviscant? pro quo:

152. Advertes primò, omne obstaculum impediens effectum principalem Sacramenti à D. Aug. lib. 1. de Baptismo cap. 1. D. Tho. 3. p. q. 69. art. 9. aliisque Theologis generatim vocari *fictionem*; eum verò, qui obstaculum, seu obicem ponit, vocari *fictum*, quatenus in Sacramenti susceptione factò ipso, & opere externo significat, se velle aliquid, nempe Sacramentum, & ejus effectum, cum tamen, aut eorum alterum, aut utrumque re ipsa nolit, hoc ipso, quod vel alteri, vel utrique obstaculum, impedimentum, sive obicem ponit.

153. Advertes secundò, dupliciter posse Sacramentum fictè suscipi: Primò, quando deest aliquid essentialia ad illud requisitum, nempe si deest vera materia, aut forma: aut aliquid logicè requisitum, ut intentio Ministri, vel susipientis. Secundò, quando ponitur quidquid essentialiter, & logicè requiritur ad essentialiam, & va-

Tom. 2.

lorem Sacramenti, ipse tamen suscipiens illius effectum impedit, quatenus non est dispositus ad gratiam, aut quia in susceptione committit peccatum, quatenus, si sit adultus, in susceptione Baptismi omittit contritionem, vel attritionem: aut si petat à Ministro hæretico, à quo deberet abstinere: aut etiam si accedat indispositus inculpabiliter, & sine peccato, quia ignorat, aut non advertit ad defectum dispositionis; tunc enim, licet non peccet, non tamen recipit effectum Sacramenti.

154. Advertes tertio, quaestionem non procedere de Sacramenti primo modo susceptis; siquidem cum in eo eventu deest aliquid essentialia, aut necessariò requisitum, non exitit Sacramentum, ac proinde iterandum est, neque de illo potest inquiri, an reviviscat; quod enim nunquam fuit, quomodò potest reviviscere? Procedit igitur difficultas de Sacramenti, illisque omnibus, secundo modo susceptis, quando scilicet ponitur obex eorum effectibus, aut culpabiliter, aut inculpabiliter, in quo variæ sunt Doctorum Sententiæ.

155. Prima sententia id negat de Baptismo, ac proinde de omnibus aliis Sacramentis. Ita Gloss. in cap. Tunc valere de Consecrat. dist. 4. & videtur tenere Alens. 4. p. q. 8. memb. 12. sine, quatenus dicit, gratiam impeditam per fictionem Baptismi recuperari per poenitentiam, in quo videtur sentire, ad hunc effectum non esse necessariam Baptismi reviviscencia.

156. Secunda sententia tenet, omnia Sacramenta fictè suscepta præstare suos effectus, recedente fictione. Ita D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. ult. ad q. 1. Caiet. tom. 1. opuscul. tract. 5. cap. 5. P. Henric. lib. 1. de Sacram. cap. 25. Nunnez. 3. p. q. 62. difficult. 6. P. Soar. tom. 3. in 3. p. d. 28. sect. 6. P. Egid. q. 62. dub. 5. qui duo unam excipiunt Eucharistiam; & alii infra citandi. Fundantur, quia plura Sacramenta, ut quæ characterem imprimunt, iterari non possunt; sicut neque Matrimonium, eadem vivente uxore, neque Extrema unctio in eadem infirmitate; sed hæc sæpè suscipiuntur in peccato mortali; ergo nò suscipiens perpetuò privetur gratiâ, quam conferunt, debent illam recedente fictione conferre.

157. Fundantur deinde quoad Sacramentum Poenitentiae, quia licet hoc iterari possit, non tamen semper tenemur peccata fictè confessi, iterum confiteri, ut quando illa confessi sumus cum sufficienti dispositione ad valorem Sacramenti, non autem sufficienti ad ejus effectum; ergo nò hæc peccata remaneant indeleta, debet Sacramentum Poenitentiae, recedente fictione, gratiam peccatorum remissivam conferre.

158. Tertia sententia id affirmat de Sacramento Poenitentiae, & reliquis imprimendis characterem. Ita Palud. in 4. dist. 4. q. 5. art. 3. & dist. 17. quest. 8. Conclus. 3. Capreol. dist. 7. art. 1. Conclus. 2. & art. 1. ad. 1. & dist. 17. q. 2. art. 1. Conclus. 2. qui probabile putat de Circumcisione dist. 1. q. 1. art. 3. ad 7. Durandi contra 4. Conclus. quæ per externum characterem materialem operabatur, recedente fictione ex D. Thom. in 4. dist. 1. q. 2. art. 4. ad 1. q. ad 3. ibi: Sicut in Baptismo manet character spiritualis, ratione cuius fictus, depositus à fictione, effectum recipit Baptismi, ita manebat character exterior in Circumcisione, qui hoc idem efficiebat.

159. Quarta sententia solum id affirmat de Sacramentis characterem imprimendis. Ita D. Bonavent. in 4. dist. 4. art. 2. quest. 3. Gabr. dist. 17. quest. 1. a. 3. dub. 2. Richard. art. 1. quest. 2. Medin. tract. de

Z z z

Confess.